

DVCIS, &c. VITA.

Ille sui excelsi genuina Parentis imago;

Ille sui, effigies, Patris ad instar, Auum.

Horum quidam olim MITIS cognomen adeptus;

Dux etiam talis IANFRIDERICVS erit.

BARBATVS nostris Dux primus floruit oris,

Et SAPIENS dictus Cæsar is ore fuit.

Mecenas, columen doctorum forte virorum,

Fundator q̄ tuæ, magna Tubinga, Scholæ.

Quod (Patris instar) & hic SAPIENS aliquando futurus,

Iam nunc indicijs magna dat orsa suis.

Sic (Patris instar) amat doctos, iussuq; paterno,

Sæpius hos mensis gaudet adesse suis.

Dux fuit VLRICVS constans atq; arduus Heros:

Vt Pater est talis, sic quoq; Natus erit.

Qualis CHRISTOPHORVS, qualis LUDOVICVS & ipse,

Talis & Agnatus IANFRIDERICVS erit.

Quæ Ducis at virtus huius, quæ vita sit omnis,

Collegi nostri Clio operosa refert.

Gaude de tali, Pater illustrissime, Nato;

Qui speculum mentis, corporis est q; tuj.

Gaude de tali, Schola VVürttemberga, Patrono:

Gaude de tali, Patria tota, Duce.

Præstet utriq; Deus longæ bona tempora vitæ:

Sint q; diu in Teccogaudia tanta solo.

Flore, viue diu IANOFRIDERICE, Deumq;

In tua clementem vota beatus habe.

Vtq; Professorum decoras simulachra tuorum,

Dux velut, & primo Sol radiando loco:

Sic (Patris instar) in hoc Dux, & Sol esto Lyceo,

Protege, clementi respice luce, fove.

IMA-